

suam amittent. Ex quibus quidem patet his quatuor vniuersam consultandi rationem constare; materia inquam idonea, de qua dicamus; ordine, quo singula digeramus, suisque in locis collocemus; apta probandi ratione; & elocutione. Nam etsi alterius facultatis videtur esse præcepta tradere de elocutione; quoniam tamen artem nostram inter alias omnes præstantissimam quorundam scurrilitate, hac de causa infamari video; placet id tractationis huius quartum caput constituere.

*De quibus differendum sit in Consultationibus. Cap. III.*

**N** hac re plurimos sanè medicos hallucinari videmus, quum de alienis à medicina, aut saltem à re proposita, vel de his, quæ nullius prorsus sunt momenti, temere disputant. Quosdam enim uideas, ut docti appareant, ex Astrologia, vel Philosophia naturali, aut demum arte, in qua sentiunt se versatos, quædam proponere, quibus is, cuius gratia consultamus, nihil emolumenti est vnquam accepturus; quas quæstiones Galenus non-ster Logicas vocare solet, quòd. scilicet ad exercitationem, vel ostentationem faciant; nihil artem ad id, quod quærimus consequendum pertineant. Sic ex medicina ipsa nonnulla vi quadam in consultationes sæpè trahuntur, quæ ut à re, de qua agitur, sunt aliena; sic illa vitium considerationem impediunt. Agnouimus enim quendam, qui quum de temperamento ægrotantis dicturus esset, hinc sumpta occasione, querere solebat, an daretur temperies in homine æqualis ad pondus; alium verò, quum de Crisi mentio incidisset, ut Astrologiam suam ostentaret, proposuisse disputandum, an dierum decretoriorum ratio ex cœli, astrorumque motu, vel potius ex morborum natura sumenda esset. Denique qui huius rei artem non tenent, dum ignorant, de quibus potissimum sit dicendum; tempus in his, quæ inutilia sunt, contrunt. Quo fit ut illi quum de auxilijs agendum est, vel iam tacere cogantur, utpotè omnibus molesti, ne alijs. scilicet locus negetur, qui postea dicturi sunt, vel ea temere colligant necessaria præsidia, quæ habent in usu, minime ad eorum inuentionem ex superflua, & inani illa sua ratiocinatione adiuti. Quod quidem non faciet, qui intelliget, quæ sit apta consultationum materia. In his tamen, de quibus differendum est, non equidem impedio, si quis nonnulla aliquando diligentius expendat; aut quæ adhuc sunt controuersa, explicare velit; aut etiam attingere cupiat quorundam opiniones, qui aliter de ea senserint. Hæc enim si moderatè fiant, ubi oportet, & adsunt docti auditores, qui, quod est exactum in rebus, audire cupiunt; consultationes reddunt longè doctiores, iucundioresque. Nam professoribus, qui præsentibus suis studiosis dicunt, plus aliquid, quàm alijs, in hac re concedendum esse puto, censeoque plurima illis conuenire, quæ reliquis sunt fortè vitiosa. Sunt porro ea, de quibus in consultationibus differendum est duo in vniuersum, finis inquam, & ea, quæ ad finem consequendum referuntur. Præter hæc alia omnia sunt superuacanea, temereque adferuntur. Fines autem duo, qui in consultationibus proponuntur, cognitio, & actio. Nam aliquando petuntur medici consilia ut cognoscamus, quis, qualisve sit præsens corporis status, vel futurus euentus, aut quid præcesserit, vel aliquid aliud ad præsentia, præterita, vel futura pertinet, quod in sola cognitione positum est, nec præterea a medicis auxilia requiruntur; quæ etsi ratione in usum veniunt, tamen horum causa consultationes quoque instituuntur, nec à nostra tractatione rei debent quæ artem aliquam postulant. Quærent enim aliquando parentes, an eorum liberi sint vitales, & salubres, vel ante iustam ætatem morituri, aut futuri morbofi. Sunt qui scire cupiunt, qualis sit eorum natura, & temperies, alios aliud capit desiderium aliquid de se, suisque cognoscendi. Cæterum actiones, siue officia, quæ medicus exercet, ex generalibus medicinæ partibus orta sunt, ut alibi ostendimus, conseruatio, præseruatio, curatio, mitigatio, & restauratio. Quidam enim molitur medicus, id facit, ut vel tueri præsentem sanitatem, vel præcauere morbos imminentes, aut præsentibus mederi, vel symptomata lenire, aut conualescentes restaurare (sub qua parte senum tractationem comprehendo) arte aliqua commode possit, & horum potissimum causa medicos consulimus. Agendum ergo de his in consultationibus, quæ faciunt ad illa consequenda, quæ ut diuersa sunt, ita diuersa, nec numero eadem esse oportet, de quibus sit differendum. Nam de alijs agendum est quum nobis proponimus cognitionem circa opus aliquod, de alijs verò quum præsidia expetuntur, quibus possimus conseruare, præseruare, aut aliud ex prædictis officijs exercere. Nec non peculiaria quædam etiam genere discrepantia consideranda sunt in curatione, vel conseruatione, de quibus superfluo in alijs ageretur. Quamobrem necesse est proponere vnumquemque finem, & media inuestigare, quæ in eum referantur.

*De quibus differendum sit, quum ponitur finis Consultationis cognitio. Cap. IIII.*

**D**e his solum hic esse agendum, quæ ad scientiam, cognitionemque rei propositæ faciunt, omnibus constare puto; sed diuersa quoque hæc statuuntur pro finis differetia. Alia enim spectanda sunt, quum aliquid, quod sit secundum naturam dignoscere volumus, aliud verò quum petitur cognitio de eo, quod est præter naturam. Diuersa præterea est præteritorum cognitio à præ-